



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

67. Injuncti Nobis &c. Constitutio pro feliciori regimine Congregationis
Observantiæ Lombardiæ nuncupat. Ordinis Eremitarum S. Augustini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

tuta muniti, eadem priorius fides habeatur, qua
haberetur ipsis praesentibus, si exhibita forent,
vel offensa. Datum Romæ apud S. Mariam
Majorem sub Annulo Piscatoris, die xiv. Octobris
MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno Decimo-
terio.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi mil-
lesimo septingentesimo decimotertio. Indictione sex-
ta, die vero decima quarta Octobris, Pontificatus
Sandissimi in Christo Patris, & D.N.D. Clemen-
tis Divina Providentia Papa XI. anno ejus deci-
moterio, supradicta litera Apostolica affixa, &
publicata fuerunt ad valvas Basilica SS. Apostolo-
rum Petri, & Pauli, Cancillaria Apostolica, in
Monte Citorio, in Aice Campi Flore, ac in alius
locis soliti, & consutis Urbis per me Andream
Graum Apost. Curs.

Laurentius Christallinus Pro-Mag. Curs.

LXVII.

C O N S T I T U T I O

Pro feliciori regime Congregationis Observantiae Lombardiae nuncupat. Ordinis Eremitarum S. Augustini.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In juncti Nobis divinitus Pastorali Officii ratio postulat, ut prospere Christifideli Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum statui consulere, & ea, qua Regulari Disciplina impedimentum adferre noscuntur, quantum cum Domino possumus è medio tollere studeamus.

¶ 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Congregationis Observantiae Lombardiae nuncupat. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quod eadem Congregatio, cui dum ob Regulari Observantiam tunc in ea vigente nonnulla privilegia à Sede Apostolica concessi fuerant, adeo a primavo ejus instituto exedit, ut ei Novitiorum vestitio suspensa fuerit; Una verò ex præcipuis causis, que relaxatio in dicta Congregatione fomentum præbuit est perpetuitas gubernii, & dipotici dominii, quod quinquaginta ab hinc annis in ea ad favorem Vicariorum Generalium absolutorum introduc-
tum fuit, quippe qui, cum nullum Superiorum realiter recognoscant, omnia in eadem Congregatione ad eorum libitum disponunt, eo quia illi, qui Vicarii Generalis munere functi sunt, remanent perpetui Definidores cum voto in omnibus Capitulis, Dietis, & Congressibus ordinariis, ac extraordinariis ejusdem Congregationis, & præfertim Definitorii Generalis, tametsi ipsi locus juxta ejusdem Ordinis Constitutiones 3. par. cap. 9. §. 7. nu. 5., dictaque Congregationis Definitiones antiquas capit. 30. num. 37., quarum vigore Definitorium Praesidente scilicet, Vicarii Generalibus actuali, & proxime absolute, quatuor Definitoribus, ac totidem Visitatoribus componitur, minimè competat, & exinde oritur, quod cum ad idem Definitorium Priorum, aliquorumque Officialium electio spectet, Vicarii Generales absoluti in omnibus electionibus perpetuo se ingerunt; Nec Definitoratus gradu perpetuo contenti, in Vicesgerentes proprii districtus, seu Provincie cum præcedenti supra Superiorum locales, immo etiam supra ipsos Definidores, & Visitatores,

Narrat abu-
sus, & rela-
xationes in
Congregatione
invenientias.

qui, ad formam earundem Constitutionum, & Definitionum, omnibus aliis, præterquam Vicariis Generalibus, actuali, nempe, & immediatè absolute, præcedere debent, constitui, & depuneri curant: Ideoque Vicesgerentes, ide st, Provinciales perpetui eorum districtus, seu Provincie sunt, non obstante quadam Constitutione à fel. rec. Martino Papa V. Prædecessore nostro, quæ incipit: *Pro cundorum &c.* desuper edita per quam prohibetur exprelse, ne Provinciales completo triennio eorum Officii in eo continuare valeant.

¶ 2. Porro plurima numerantur inconvenientia, quæ ex præmissis oriuntur, quorum primum est dispendium Conventuum, qui ultra ordinarias collectas, quas pro manutentione Vicarii Generalis persolvunt, nedum illas prædictis Vicesgerentibus, verum etiam expensas itinerum occasione eorum accessus ad Capitula dictæ Congregationis, contribuere tenentur. Præterea memorati Conventus alias sumptibus, & dispendiis gravati reperiuntur; nam Priors, alii que Officialies, qui ærarium administrant, benevolentiam illorum, à quibus unicè in spem adducunt se gratiis, & beneficiis affici, ita captare student, ut Religiosorum indigentias consuleant, ac officinas, corumque cellas rebus ad id necessariis instruere, nec non in Conventibus ejusdem Congregationis Religiosorum numerum validè minorem eo, qui ali possit, non sine Cultus Divini, ac Ecclesiarum servitii detimento, retineantur. Alterum vero inconveniens existit, quod omnes Religiosi ab arbitrio, & voluntate ipsorum Vicariorum Generalium absolutorum unicè dependent: Ita ut Prioribus, aliquique Officialibus solus titulus remaneat, ac mandata ipsius Vicarii Generalis, ut plurimum illis Vicesgerentibus, non sine maximo scandalo, postponuntur; nec Superioris Locales illis se se opponere, nec Religiosi contra hujusmodi abusus reclamare audent, quia omnes sperant eosdem Vicesgerentes ubi gratias fore, unde gratiam apud eos querere, illorumque desiderii obsecundare procurant.

¶ 3. Cum autem, sicut eadem exposito subiungebat, perpetuitas Superiorum in guberniis hujusmodi, ita Regulari Observantiae obnoxia, in Capitulo Generali memorata Congregationis in hac Almâ Urbe nostra anno 1664. celebrato, in quo nonnullæ Definitiones factæ, ac postmodum à rec. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædecessore nostro per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die 18. Julii ejusdem anni expeditas literas, confirmatae fuerunt, introducta fuerit, experientia vero plurimum annorum compertum fit illam eidem Congregationi magnum præjudicium attulisse, ac propterea ipsi Exponentes, quod abulus hujusmodi de medio tollantur, Regularisque Observantia in ea refutescat, ejusmodi perpetuitatem per Nos aboleri, nec non prærogativas eorumdem Vicariorum Generalium absolutorum ad terminos, in quibus ante predictum Capitulum Generale reperebantur, per Nos reduci plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportuni provideat, & ut infra indulgeret de benignitate Apostolica dignaremur.

¶ 4. Nos igitur Regulari Observantiam in eadem Congregatione, sublati impedimentis, promovere cupientes, ac ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliquique Ecclesiasticis Sententias, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latissimis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effec-

Alia incon-
venientia, &
corruptelas
narrat.

Allum abu-
sum explicat.

Instancia
Pontificia fac-
ta pro abolitione
perpetuitatis Su-
periorum.

Formam
præscribit de
cetero in e-
jusdem Con-
gregationis
gubernio ob-
servandam.

effectum præsentium dumtaxat consequen., harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium à Nobis specialiter deputatorum, qui rem maturè perpenderunt, consilio, Diffinitorium Generale ejusdem Congregationis in posterum ex Vicario Generali proximè absoluto, quatuor Definitoribus, & totidem Visitatoribus constitendum esse, & propterea in eo Ex-Vicarios (reservata tamen facultate interveniendi solum illis, qui cum hac qualitate Ex-Vicariorum de præsenti reperiuntur) non esse admittendos, autoritate Apostolicâ tenore præsentium decernimus, & declaramus; Quodque respectu eorumdem Vicegerentium constitendorum Constitutio in cap. 31. §. 6., & quatenus opus sit eam declarando, obseretur. Præterea non posse constitui Vicegerentem unum, aut plures in diversis primodiis Congregationis partibus, nisi extra Congregationem, aut si ad ipsius Congregationis extrema loca Vicarium Generalem ire contigerit, & extra dictos casus non posse constitui, nisi unum in Lombardia, si ultra Montes Apenninos etiam intra Congregationem ipsum iverit, que deputatio tantum tempore absentiae durare intelligatur, ut supra, & non amplius, harum serie ordinamus. Et quoad personam deputandam cap. 4. rub. 28. num. 1. pariter observetur; quodque non possit eligi, qui per sex annos continuos munus quocumque jurisdictionis exercerit, nisi pariter per triennium vacaverit; Ac ulterus eidem Vicegerentibus subministrari aliquid ratione expensarum à Conventibus, pro quibus constituti fuerunt Vicegerentes hujusmodi, ut supra enunciatis, prædictis Alexandri Prædecessoris Literis ceterisque contrariis non ostantibus, autoritate, & tenore prædictis interdicimus, & prohibemus.

Cum clausula sublata, &
decreto irri-
tanti.

Et deroga-
tione qui-
buscumque
contrariis.

§. 5. Decernentes pariter easdem presentes nostras Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, sive plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spe-
cabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suf-
fragati, & ab eis respetu inviolabiliter obser-
vari. Sieque in præmissis per quoscumque Ju-
dices Ordinarios, & Delegatos etiam Caularum Palatii Apostolici Auditores judicari, & defini-
nire debere, ac iritum, & inane, si fecus super his à quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus prædictis Alexandri Prædecessoris Literis, aliquis præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Congregationis, & Ordinis prælatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robora-
tis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quo-
que, Indulgis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inser-
tis habentes, illi alias in suo robore permanis-
tis, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat spe-
cialiter, & expresse derogamus, ceterisque contra-
riis quibuscumque. Volumus autem, ut ea-
rundem præsumum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliquicui Nota-
rii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitute munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeat, qua adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die xx.

Bullar. Rom. Continuat. Pars II.

Octobris MDCCXIII. Pontificatus Nostri Anno
Decimotertio.

F. Oliverius.

DECLARATIO

Nullitas, damnatio, abolitio, & reprobatio plurimorum gestorum ab afferro Justice præten-
si Tribunalis Monarchia Sicula, necnon à qui-
busdam ejus Delegatis, tam super abrogatione Censurarum, quas R. P. D. Franciscus Archiepiscopus Ramirez Episcopus Agrigentini, & Civitatis, & Diceceps Agrigentini, per abu-
sum Sæcularis potestatis ejectus Expulsores suos incurrisse declaraverat, quam super revocatione Ecclesiastici Interdicti, cui idem Episcopus eâ occasione Civitatem, & Diceceps præfatas subjecerat.

Cum diversis Ordinationibus, Decretis, & Declara-
tionibus.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

AD plurimas, & verè acerbissimas, quas in Regno Sicilia non minus Ecclesiæ, quam hujus S. Sedis authoritas à Sæculari potestate jamdiu pertulit, & adhuc perfert, injurias, considerationis nostra intuitum convertent, id fermè Nobis evenire experimur, quod patientissimo Viro Job accidisse Sacra Literæ commemorant: ut scilicet unius ærumnæ Nuncium aliis gra-
vioris calamitis Relator excipiat, novaque in dies, ac semper tristiora ex illis partibus ad Nos afferantur. Nostra proinde, & ejusdem Sedis, Ecclesiæque Jura, ex commissi Nobis colitus Pastorali Officii debito, ab ejusmodi Laicorum auctoribus constanter afferere pergi-
mus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinæ perpensis, æquitati, & justitiæ rectoq[ue] ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

§. 1. Nuper siquidem ad Apostolatus Nostri notitiam pervenit, quod alijs postquam Venerabilis Frater Franciscus Archiepiscopus Ramirez Episcopus Agrigentinus non alijs profecto de causâ, nisi eo quod Ecclesiastica authoritate strenue asserta, ministerium suum diligenter implevisset, & quo par erat, obsequio Nostris, atque ejusdem Sedi mandatis fideliter obtemperasset, per sum-
mam injuriam, ac intolerabilem ejusdem Sæcu-
laris potestatis abulum è suâ Civitatem, ac Dice-
ceps Agrigentini, rotio Regno Siciliæ ex-
pulsus, ejusmodi suæ expulsionis Executores,
nec non quoscumque illius complices, auxilia-
tores, & mandantes in Excommunicationem
majorem ab Apostolicis Constitutionibus, & spe-
ciatim illâ die Cœna Domini singulis annis legi,
& promulgari solita contra similia perpetantes in-
fictam incidisse declaraverat; ac insuper Civitatem, & Diceceps Agrigentini, præfatas Ecclesiastico interdicto subjecerat: Tametsi hec omnia ab eo ritè, ac rectè, necnon iuxta Sacrorum Cano-
num præscriptum, immo etiam de speciali, ac pra-
vio mandato nostro peracta fuerint, nihilominus paucos post dies, inente scilicet mense Septem-
bri proxime præterito, quidam Andreas Ficani, tanquam prætensi Tribunalis Monarchia Sicula nuncupati, illiusque asserti Judicis specialiter ad infra scripta Delegatus, primùm quidem, nempe die secunda ejusdem mensis Septembris, Eccle-
siam Sancti Joannis Civitatis Agrigentini, quæ

Exordium
à pondera-
tione gra-
vium ær-
umnarum, quas
Ecclesiæ &
Sedis Apos-
tolice au-
toritas in Re-
gno Siciliæ
patitur, infi-
ctas per Sæ-
culararem Po-
testatem; iij.
que mederi
velle decla-
rat.

Memorat de-
claracionem
incurlii cen-
surarum fac-
tam ab Epis-
copo Agri-
gentino Ra-
mirez contra
proprios Ex-
pulsores, &
suppositio-
nem Civita-
tis & Dice-
ceps Eccle-
siastico Inter-
dicto.

Subinde nar-
rat violenter
secutam suis
aperitionem
Ecclesiæ
S. Joannis d.
Civitatis ex-
ploram de
mandato An-
dreæ Ficani
prætensi
Monarchie,
necnon ablo-
utione fu-
pradicatarum
cenfurarum,
ab eo indul-
tam.